

frustra in illis, quae extra urbem gesserat, habuisse fiduciam. In extremo tamen fine huius capitis aliquanto obscurius dixit:

§ 66. Sed ea res, iudices, haut scio an pluris mihi fuerit, quam si mihi tum essent omnes gratulati. 5

Hoc ait: Magis laetatus sum ignorasse multos, ex qua provincia venirem, <quam> si venienti mihi gratularentur. Perstringere enim voluit invidiam praesidum, qui spoliatis provinciis revertantur, ac propterea eos amici sui cum gratulatione suscipiant, quod divites evenerint. 10

§ 67. Eadem igitur, Cassi, via munita Laterensi est, idem virtutis cursus ad gloriam, hoc facilius fortasse, quod ego huc ab me ortus et per me nixus ascendi.

Nota gratificationem molestam et cum magnis amaritudinis aculeis interpositam. Dicens namque non aliter ad honores adipiscendos perventurum esse Laterensem, quam Tullius ipse pervenerit, valde . . . subiunxit testificando se non generis nobilitate, sed virtute ad omnis magistratus pervenisse, Laterensem hoc amplius adiumenti habiturum, 20 quod nobili familia ortus in candidam veniat. Sibi ergo adiudicavit non lenocinia generis, sed praestantiam virtutis, illi vero spem de maioribus dedit, quod suffragium scimus esse fortunae.

§ 68. Quamquam dissimilis est pecuniae debitio et 25 gratiae.

. . . qui adgreditur, quae proficient et ad coniecturae statum et ad [illum] compensativum. Nam . . . valebit gratia ipsius Ciceronis et eorum, qui propter illum Plancio